

Ingenij non sunt humani viribus ista  
 Eruta, sed summi munera nota DEI,  
 Excitat ingenuas Heroas in artibus ille  
 Nec mersas tenebris quas dedit esse sinit.  
 Quam dederit varias diuinæ Palladis artes,  
 Hoc & doctorum posthuma scripta probant.  
 Artibus inuentis celebris sit docta vetustas,  
 Nemodo laus studiis desit, honorque nouis.  
 Nam vulgata haud nunc apponis lane sed addis  
 Artifices summos quæ latuisse patet,  
 Antiquis ignota viris, mirandaque nostri  
 Temporis ingenis, suspiciendus eris.  
 At valeat liuor, paucis licet ista probentur,  
 Sufficiet doctis si placuere viris.  
 Rustica turba tibi non fas mysteria tanta  
 Nosse, Euclidæi hinc fontis origo nitet.  
 Ergo sorte tua gaude sis nomine clarus,  
 Clara vetat, casso lumine, Musa mori.  
 Euge Mathematicas sic perge industrius artes,  
 Excolere, & studiis velle iuuare tuis.  
 Aurea nam quondam Themidos te puncta salutent,  
 Ingenij dotes hæc meruere typum,  
 Sic quo cæpisti stadio decurre, beabunt  
 Sic te doctorum candida iudicia.  
 Sic te maior honos, sic præmia larga manebunt,  
 Sic laudis veræ vera corona datur.

Sic